



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

Dvbivm II. An beneficia monocularia comprehendantur sub Concordatis
Germaniæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

D V B I V M II.

An beneficia monocularia comprehendantur sub Concordatis Germaniæ?

§. I.

Non immeritò hæc quæstio movetur, utpotè in qua acerrimos persæpè vidi litium conflictus inter provisos de eiusmodi beneficiis in mensibus Apostolicis vacantibus à Papa, vel eius in partibus Nuntio, & provisos ab Ordinariis, eorundem collationem in quovis mense sibi vendicantibus; cùm verosimile ipsis non videretur, Papam voluisse illos privare unico hoc lumine, quod eis vix semel in vita contingit, iuxta *tex. in Clemen. 1. de sentent. excommunicat. & gloss. in Clemen. 1. verb. incerta. de præben.*

Status & ratio huius quæstionis.

§. 2. Pro eius itaque intelligentia & resolutione notandum est, beneficium monoculare dici, quoties in Ecclesia unum duntaxat est beneficium, vel quoties collatori competit unius tantum beneficii collatio, *Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. beneficium. §. 4. Chokier ad reg. 8. cancell. gloss. 4. num. 5. Massobr. in praxi habent. concurs. ad parochial. prælud. 9. Rota decis. 13. aliàs 216. de præben. in nov.* Unde non diceretur beneficium monoculum, si quis habeat beneficii unius collationem tantum, & in alio præsentationem, vel si quis habeat collationem in uno solus, & cum aliis collationem in pluribus, u. g. Decanus quis, vel Canonicus sit unius duntaxat per se beneficii collator, habeat autem aliorum beneficiorum collationem cum Capitulo, vel saltem in turno suo, vice & ex parte Capituli, non erit is profectò collator monocularis, sed pluralis: satis enim est, quocumque modo plurium beneficiorum dispositionem habeat, actu, vel potentiâ *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 9. §. 4. num. 26. & 27. VVamecius consil. canonic. tom. 1. consil. 42. num. 7. Chokier loco citato. Rota decis. 40. aliàs 241 de rescript. in antiq.*

Beneficij monocularis explicatio.

§. 3. His prænotatis, Respondeo beneficia monocularia minime

*Beneficia
monocula-
ria non ex-
cipiuntur
à Concord-
atis.*

nimè excipià Concordatis Germaniæ, sed sub eorum alterna-
tiva reservatione indubitato contineri: ita ut in mensibus Apo-
stolicis vacantia rectè per Papam, vel eius in partibus Nuntium
conferantur absque ulla Ordinariorum iniuria. Siquidem
Concordata generaliter & plenissimè loquuntur de omnibus,
seu quibuscunque beneficiis; ita ut etiam tenuissima compre-
hendant, prout & Regula IX. Cancellariæ Apostolicæ, *Gar-
cias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 514.* in alternis mensibus
vacatura, ergò etiam comprehendunt monocularia, nam qui
totum dicit, nihil excludit. *l. testatorem. 68. ff. de legat. 3. VV a-
mesius consil. canonic. tom. 1. consil. 222. num. 6. sub. fin.* & reservatio
generalis suo ambitu complectitur omnia, & quantum ad
comprehensa sub ea, sic singula comprehendit, ac si essent spe-
cialiter enumerata, *l. 2. C. de quadriennii præscript. VV amesius
consil. canonic. tom. 2. consil. 596. num. 6.* Adeoq; in mensibus
Pontificiis tribuunt sedi Apostolicæ ius Ordinarium ea confe-
rendi, in quibus Ordinarii collatores nihil iuris prætere
possunt: imò nec conqueri valent se privari hoc unico lumine,
quia id non contingit omni tempore, sed duntaxat in mensi-
bus Apostolicis. *ita Gonzalez ad reg. 8. gloss. 9. §. 4. num. 15 & seq.
simonetta de reservat. quæst. 85. VV ames. consil. canonic. tom. 1. consil.
42. n. 6. & seq. & cons. 222. n. 6. in fin. Garcias de benef. part. 5. cap.
1. §. 11. num. 518. Chokier ad reg. 8. gloss. 4. nu. 5. ubi & sic se iudicasse
refert. Barbosa de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 57. num. 180.*

*Imò n. c.
dignitates
monocula-
res.*

§. 4. Quin & à fortiori hoc sequitur, ex quo tam per Regu-
lam III. modò IV. & Regulam VIII. nunc IX. Cancellariæ Apo-
stolicæ, quàm Concordata Germaniæ reservantia Pontificiæ
collationi maiores dignitates in Cathedralibus post Pontifica-
lem, & principales in Ecclesiis Collegiatis in quovis mense,
etiam in quibus unica tantum est dignitas, eadem pariter Sedis
Apostolicæ dispositioni reservetur, *Flamin. Paris. de resignat.
lib. 7. quæst. 11. nu. 30 simonetta loco præcit. Gonzalez loc. cit. n. 19. &
seq. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 5. num. 267. & seq. Chokier ad
reg. 3. cancell. num. 23. ac 24. Barbosa de off. & potest. Episc. par. 3. al-
leg. 57. n. 102. qui de super plures adducunt Decisiones Rotales.*

§. 5. Nec Ordinarios iuvat, si allegent se esse in possessione,
& usu

& usu quasi immemoriali conferendi huiusmodi beneficia
 monocularia in utroque mense; non iuvat inquam, tum ob
 clausulam *Decreti irritantis* Concordatis adiectam, quæ tan-
 tæ est efficaciæ & potestatis, ut liget etiam ignorantes, & in
 causis beneficialibus ipso iure inficiat titulum & possessionem,
 & omnes actus subsequentes in contrarium, ac tollat omnem
 potestatem conferendi: ita ut taliter provisi nullo iuris admi-
 niculo fulciantur, & ne coloratum quidem titulum habeant,
 etiam in iudicio possessorio summarissimo, *V ames. consil. canon.*
tom. 1. consil. 252. nu. 3. s. 5. & 6. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. s. 9.
à num. 407. per tot. Chokier cum pluribus citatis ad reg. 8. cancell.
gloss. 1. num. 5. sub fin. & gloss. 11. num. 8. & seq. & ad Preces primar.
ject. 5. s. 2. lit. M. Tum ob Constitutionem Clementis VII.
 Pontificis Maximi contra Ordinarios, qui non servatâ formâ
 Concordatorum Germaniæ, beneficia in mensibus Apostoli-
 cis vacantia, etiam qualiacumque fuerint, conferre præsu-
 munt, expressè editam, quâ decrevit huiusmodi collationes
 sic factas, vel faciendas impostero, nullum titulum, vel co-
 lorem ipsa beneficia possidentibus tribuisse, aut in futurum tri-
 buere, sed illos pro malæ fidei possessoribus, & merè intrusis
 ab omnibus haberi & centeri debere, ac fructus per eos ex bene-
 ficiis huiusmodi perceptos & percipiendos nullo unquam tem-
 pore suos facere, sed ad illorum restitutionem in utroque fo-
 ro efficaciter obligatos esse; adeoq; illi Ordinarii tanquam
 mali collatores teste Zerola in *praxi Episcop. part. 1. verb. bene-*
ficium. ad quest. secundum. ultra peccatum mortale in quod in-
 cidunt, possunt graviter à summo Pontifice puniri, quia dant,
 quod non habent, *c. qui perfectionem. c. ventu est. 1. q. 1. & c. quo-*
modo. de consecrat. dist. 4. l. si univ. se. 15. C. de legat. usurpantes
 quod est alterius. contra illud *Sic nos existimet homo. ut mini-*
stros Christi, & mysteriorum Dei dispensatores. &c. & sic provi-
 sos faciunt similiter manere in peccato mortali, si hoc ipsi sci-
 unt, & reddunt obnoxios restitutioni fructuum perceptorum,
 & aliis pœnis, hætenus Zerola. cui ad stipulatur *Rovenius Rei-*
pub. Christiana lib. 1. cap. 3. sub num. 3. dicens conferentem be-
 neficiu in absque potestate teneri ad restitutionem, tam ipsum,
 quam

Nec posses-
 fio, aut
 usus con-
 trarius
 Concorda-
 tis Ordina-
 rios iurat.

Clem. Pa-
 pa 7. Con-
 stit. 47.
 Bullarum
 tom. 1.

1. Corinth.
 cap. 4. v. 1.

quàm eū, cui contulit, omnium fructuū perceptorum & damni illati Ecclesiæ, & insuper taliter provisum interdictum esse ab ingressu Ecclesiæ &c. Hinc nec prodest ulla cōtraria consuetudo, quæ contra Regulas reservatorias & Constitutiones Apostolicas est potius corruptela dicenda, ad excusandas excusationes in peccatis, quàm vera consuetudo: quin tãtò graviora sunt peccata, quantò diutius infelicē animā detinēt alligatam, ut discretè loquitur *text. in c. cum in Ecclesia. 9. de simonia. & c. quanto. 4. & c. ult. de consuet.* Vnde *Branden ad Concord. quest. 5. num. 21.* censet confessarios obligatos esse ad non absolvendum poenitentes, donec pareant, & Constitutionibus Apostolicis obedientiam præstent.

Quo! ab
Ordinariis
attendi
debet.

§. 6. Quæ si Ordinarii quidam collatores magis perpenderent, non tam inconsideratè subinde ad beneficiorum in mensibus Apostolicis vacantium collationes contra Concordata Germaniæ profilirent; sed de his latius *infra tit. 3. dub. 2. per tot.*

D V B I V M III.

*An Concordata Germaniæ capiant ea beneficia,
quæ vulgari titulo officia Ecclesia-
stica nuncupantur?*

Exponitur
status qua-
sitionis.

§. 1. I Nter alia argumenta, quibus Ordinarii quidam collatores elidere, seu potius eludere conantur Concordata Nationis Germanicæ, est & illud, quo beneficia in mensibus Apostolicis vacantia colorare solent titulo officiorum Ecclesiasticorum, existimantes ea sub Concordatorum alternativa non comprehendi.

Officia in
titulum
dari solita
compre-
hendantur
sub Con-
cordatis Ger-
manicæ.

§. 2. Ad illud proinde *Respondeo* juxta receptam Canonistarum sententiam, officia Ecclesiastica, quæ in titulum non dantur, veluti est officium custodis, cellarii, Prothonotariorum, & his similia, nec non officia ea, quæ missarum aliquot onus annexum habent, ad nutum amovibilia, non cadere sub